

GODESCHALCKVS ET THEODORICVS.  
Meschede.



Godeschalckus & Theodoricus in Vuestpha  
Glia nati & educati sunt. Hi fratres sese Erdfor  
diam studiorum gratia contulerunt, atq; magnam  
uterq; eruditionem nacti sunt. Senior autē Theo  
logiæ incubuit, atque adeò profecit, ut Doctor  
creatus, publicus eius facultatis professor constitū  
tus fuerit. quam etiam functionem magna cum au  
thoritate diu ibidem obtinuit. Scripsit etiam quæ  
stiones uarias disputatas, atque sermones & colla  
tiones. Frater autem iunior Theodoricus artium  
& Medicinæ Doctor factus, sese Moguntiam re  
cepit, atque ob ingenij promptitudinem & omni  
fariam eruditionem, ab omnibus dilectus est. Ibi  
de conseruanda sanitate tempore pestis tractatum composuit. Habuit is fili  
um Theodoricum qui uix quindecim annorum existens, multos profectæ e  
tatis claros homines, sua eruditione & facundia superauit. Scripserat is librum  
insignem de septem artibus liberalibus ad Tritthemium abbatem, ita ut mul  
tis suo ingenio stupori & admirationi fuerit. Floruerunt anno millesimo  
quadrageentesimo septuagesimo.  
Trithemius.